



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sancti Lvdovici Caroli II. Regis Siciliæ Filii, Ex Ordine  
Minorvm Episcopi Tolosani Vita**

**Sedulius, Henricus**

**Antverpiæ, 1602**

Cap. VI. Sacris Missæ mysteriis nisi peccata confessus no[n] voluit interesse, sæpe sumens corpus dominicum. Sacerdos ferè quotidie sacrificabat. De pietate eius in lignum & signum S. Crucis, & ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42834**

et timore absterret ab oratione. At impavidus adolescens , potentia Domini fatus, munivit se viuificae signo crucis : atque ita timor menti decessit, virtute illius tropaei statim hoste maligno profligato. Vbi vero resciuit hoc fratrem suum Raymundum animaduertisse, qui in eodem cubiculo una dormiebat: illius fidem iurejurando adstrinxit, ne hoc cuiquam ante mortem suam indicaret. Ille conseruandi quidem iurisurandi causam tenuit fidem: sed post decessum fratris , rem compluribus enarravit.

## CAPUT VI.

*Sacris Missæ mysteriis nisi peccata confessus non voluit interesse, sape sumens corpus Dominicum. Sacerdos fere quotidie sacrificabat de pietate eius in lignum & signum S. Crucis, & sanctas reliquias.*

**D**e pietate cius in sacrosancta mysteria Christianorum , & sanctas reliquias, etiam nonnulla promenda nunc veniunt. Ad Missarum mysteria diligentissime se præparabat, quibus nunquam voluit interesse, quod singulis diebus consueuerat, nisi peccata confessus, maximè vero quoties esset S. Eucharistiam sumpturus : ut expurgatus <sup>Pietas eius in</sup> virtute salutaris poenitentiae, Agnum illum sine macula, puro corde & corpore manducaret. In more erat illi antequam Sacerdos es-

ser,

set, principalibus sollempnitatibus corpus sumere Dominicum, tantà reuerentiâ & affectu, vt spectantes exemplo suo vehementissimè inflammaret. Factus Sacerdos & Episcopus, tametsi pro officij ratione maximis distineretur occupationibus, ferè quotidie, confessione præmissâ operari diuinis non intermittebat; ne quidem cùm magnum iter fecisset, cælo etiam valde pluvio. Factum aliquando, vt longo itinere consecro, sacrificare volens, non inueniret Sacerdotales vestes, nisi viles & sordidas: tamen, vt erat augustissimo illi Sacramento deuotissimus, & modestissimus, sacrificauit: probè sciens supremum numen placari & delectari potius affectu puræ mentis, quam externis ornamentis. Et vt erat fidus amicus Christi, partem ligni sanctæ Crucis, cum aliis multis <sup>Gestæ</sup> <sup>sanctus</sup> reliquias sanctorum reliquiis veneranter gestabat. Sed & signum crucis ad expeditionem transmarinam contra nominis Christiani hostes dari consuetum, donec S. Francisco nomen dedisset, propalam ex more gerebat in vestibus.

## CAPVT VII.

*Otium vitat semper fructuosè occupatus. vanorum consuetudinem fugiens delectatur solitudine.*

**H**Umanum ingenium ita vni alicui rei nequit alligari, vt illi perpetuum inhæreat: